

431

429

435

425

440

420

480

380

530

330

Ende

Anfang

420

Fuit autem ecclesia S. Marci conflagrata, ut dictum est, anno 978, et per ducem 25. Venetorum, Petrum Urseolum, rea-
dificata in pristinam formam post XVII annos a sua combustione.
Anno Domini MLXXXII idem S. Marci templum conflagratur,
quod Vitalis 35. Venetorum dux restauravit et decoravit tabula-
turis et picturis. Creditur autem, quod formae et figurae illius
ecclesiae depictae fuerint ad voluntatem et jussionem alicujus sancti
viri et prophetae, quia multa futura inventa sunt in picturis illis
expressa, et inter alia S. Dominicus fuit ibi depictus, longe ante-
quam natus, ut habet Antonius in Chronic. Pars. II. Tit. 23.
C. I. II. In una etiam ecclesiae parte erant duae imagines, una
ad alteram versa: una stabat in habitu et figura, qua depingi solet
S. Paulus apostolus, super ejus caput scriptum erat: Hagios Paulus,
id est: sanctus Paulus, et ad pedes fuit scriptum: Per istum
itur ad Christum. Altera imago erat in habitu ordinis Praedica-
torum, cum lilio in manu, super ejus caput stebat scriptum:
Hagios Dominicus, et ad pedes scriptum habebat: Facilius itur
per istum. Nec mireris de scriptura, qua dicitur, quod per Pau-
lum itur ad Christum et per Dominicum facilius, quia doctrina
S. Pauli, sicut caeterorum apostolorum, ducebat ad susceptionem
fidei gentes et ad observantiam preeceptorum; doctrina autem
Dominici inducebat ad confortationem fidelium in fide et ad ob-
servantiam consiliorum, quod utique facilior via est. Ex hoc ergo
templo praenuntiatio sancti patris nostri Dominici fuit accepta,
cujus pictura et nomen recepta est centum et XX circiter annis
ante nativitatem S. Dominici. Postquam autem S. Dominicus in
mundo claruit (**217 a**), ipsis imaginem renovaverunt, similiter
et S. Petri martyris; et in alia parte jam noviter opere musaico
imagines S. Thomae Vincentii et Catharinae de Senis posue-
runt et S. Franciscum cum sua diva prole, nec sunt parvi-
pendenda, quae in illa ecclesia sunt depicta, quia non aestimo,
in mundo esse pretiosiorem picturam, demtis picturis ecclesiae
Bethlehemitanae, nec vidi pavimentum simile nec tabulaturas pa-
rietur nec tecta mirabiliora. Campanile sive turris S. Marci non
est conjuncta ecclesiae, sed platea intermedia in parte alia est
aedificatum per Dominicum, ducem 40. Venetorum, anno Domini
1148, in quam turrim campanas suspendit, quae prius in humiliore
loco erant suspensae. Optimae enim sonorositatis sunt Venetianae

